

quando gratia confertur post characterem propter priorem obicem, non est cur gratia fiat a characterem. Item si gratia baptismalis semel habita per peccatum amittatur et postea per poenitentiam reparatur, non fit physice a characterem; ergo neque quando primo acquiritur et quasi reparatur recedente fictione. Denique cum hoc non sit connaturale characterem, nec per se pertineat ad finem, propter quem datur, non est hoc asserendum sine fundamento; imo cum character non sit quasi virtus instrumentalis baptismi, neque ad hoc datur, ut suppleat efficientiam baptismi in absentia ejus, parum videtur conferre, ut baptismus dicatur efficere gratiam, quod character elevetur ad illam efficiendam, necne; quia hoc est mere accidentarium baptismi. Atque eisdem fere rationibus refellitur alia responsio, quæ excogitari potest, scilicet fictionem semper tolli per aliquem actum hominis, contritionis, vel attritionis, et illum actum efficere gratiam in virtute prioris sacramenti. Nam, licet hoc fieri possit volente Deo, tamen gratis dicitur, tum quia ille actus non est pars sacramenti præcedentis; tum etiam quia si simul concurreret cum ipso sacramento, v. gr. baptismi, non haberet hanc efficientiam; tum denique, quia ille actus non est virtus vel instrumentum prioris sacramenti. Respondetur ergo, in eo casu sacramentum præteritum non concurrere per physicam efficientiam ad gratiam præstandam; quando enim dicuntur sacramenta efficere physice ac proprie gratiam, sicut intelligitur, necessarium esse, ut ex parte subjecti concurrant conditiones necessariae ad hunc effectum, scilicet, ut obicem non ponat, ita ex parte ipsius sacramenti intelligendum est debere concurrere necessarias conditiones omni agenti physico, scilicet, ut existat et debito modo applicetur; in prædicto ergo casu baptismus non habet efficientiam physicam, non quia ex se nunquam illam habeat, sed quia tunc cum debitis conditionibus non applicatur. Quod vero pertinet ad modum loquendi in hujusmodi effectu, re vera non verificantur proprie omnes locutiones, quæ sunt de efficientia sacramentorum. Nam hic baptismus neque fuit, neque est vera causa instrumentalis gratiæ, nec de illo simpliciter dici potest, quod hominem mundet; sed proprie dicitur Deus mundare aut conferre gratiam ratione prioris baptismi, qui in divina acceptatione manere intelligitur; est enim tanta hujus sacramenti perfectio, ut licet suo tem-

pore impediatur ab agendo, et postea, quando jam non est, physice agere non possit propter defectum conditionis necessariae ad agendum, Deus tamen suppleat ejus absentiam et conferat gratiam ratione illius.

21. *Ad quartum.* — Ad quartum, qui admittunt, instrumenta divina physice agere, quando non sunt, dicere consequenter posent, gratiam collatam per sacramentum, quamdiu durat, eadem actione conservari, dependentem a præterito sacramento. Sed hæc omittamus, ut improbabilia. Primum ergo statuendum est, non semper formam conservari per eandem actionem, per quam fuit effecta; aliud enim est dicere, conservationem posse fieri et sufficienter fieri per eandem actionem, per quam res fuit producta, si illa eadem perseveret et duret, quod verissimum est; aliud vero est dicere, semper ac necessario conservationem esse eandem actionem cum productione durante ac permanente, quod falsum est; potest enim res per unam actionem fieri et per aliam conservari, quod semper accidit, quodcumque effectus ab una causa fit et ab alia conservatur, quia variata causa necesse est actionem variari, quia per se ipsam et non per aliam actionem dependet a causa; unde calor factus ab igne, qui postea a solo Deo conservatur, alia actione conservatur, quam productus sit; ita ergo est in præsentem. Nam in instanti, in quo fit gratia per sacramentum, est una actio pendens essentialiter a sacramento, ut instrumento, et a Deo, ut principali causa; hæc autem actio cessat finito sacramento, et consequenter etiam cessat ille concursus, quem Deus præbebat sacramento, quia hic non erat actio distincta ab illa, quæ a sacramento pendeat; incipit ergo conservari gratia a solo Deo per novam actionem, quæ licet fortasse habeat respectum aliquem ad præcedens sacramentum, quia per illud data est gratia, ut postea conservetur, non tamen est physice ab ipso sacramento, cum jam non existat.

22. *Ad quintum.* — Ad quintum Thomistæ respondent, passionem Christi, quæ præterit, esse instrumentum physicum efficiens omnes effectus sacramentorum et movens ipsa sacramenta, eisque virtutem præbens ad efficiendum. Sed si hæc intelligantur proprie de passione, ut fuit quædam mutatio, quæ jam non est, falsa sunt et sine fundamento, ut late in 1 tomo dixi. Si autem non loquamur de passione præcise ratione motus præteriti, sed de humanitate, in qua Christus passionem

sustinuit, sic concedi potest, illam esse physicum instrumentum conjunctum, utentem sacramentis, ut instrumentis separatis ad gratiam efficiendam, ut dixi in dicta disput. 31, 1 tomi. Quod non est ita intelligendum ac si Christus per humanitatem physice moveat vel applicet sacramentum, aliquam motionem realem imprimendo ipsi sacramento; constat enim ex dictis nullam qualitatem vel realem motum imprimi sacramento; ergo non potest illo modo explicari, sacramentum moveri aut elevari a Verbo media humanitate; ergo si humanitas Christi simul influit cum sacramento in effectum gratiæ proprio influxu, intelligendum est, immediate influere simul cum ipso sacramento, ita ut illa sint duo instrumenta inter se subordinata ex divina ordinatione. Potest autem humanitas in genere instrumenti dici universalis causa respectu sacramentorum, quia cum omnibus illis operatur et omnia ab illa pendent; ipsa vero sine illis operari potest; et eadem ratione potest respectu illorum dici quasi principalis, non simpliciter, quia re vera humanitas est tantum instrumentum conjunctum respectu harum actionum, ut loco supra citato diximus, sed secundum quamdam comparationem, quia Christus per suam voluntatem influit, et ab illa pendet sacramentorum virtus. Dices: quomodo ergo virtus sacramentorum dicitur manare a passione Christi, si nihil influit in ipsa sacramenta? Item, quomodo illa virtus potest esse physica, si passio ipsa nihil physice operatur? Respondetur, sacramenta habere virtutem a passione Christi, nihil aliud esse, quam Christum passione sua meruisse et impetrasse, ut sacramenta haberent hanc vim conferendi gratiam, et ideo non est necesse, ut illam vim habeant per aliquem influxum realem, qui fiat circa ipsa sacramenta, sed solum per divinam elevationem et specialem concursus, ut supra dictum est; et ob eandem causam necessarium non est, ut passio Christi physice det sacramentis hanc virtutem, sed meritorie ac moraliter; neque inde fit, causalitatem sacramentorum esse tantum moralem, quia ipsamet causalitas physica sacramentorum, potest cadere sub merito Christi, sicut auxilium gratiæ nobis datur propter Christi passionem in genere causæ meritorie, et tamen datur, ut per illud physice operemur.

23. *Ad sextum.* — Ad sextum ex dictis patet responsio; non enim affirmamus hanc physicam causalitatem sacramentorum, eo

quod, illa posita, major gratia vel sanctificatio nobis conferatur, sed quia hoc est conformius Scripturæ et Sanctis, et quia hoc pertinet ad majorem quamdam dignitatem et excellentiam sacramentorum, magisque declarat efficaciam divinæ omnipotentiae et meritorum Christi.

ARTICULUS V.

Utrum sacramenta novæ legis habeant virtutem ex passione Christi (infra quæst. 64, art. 2; et 4, dist. 1, quæst. 1, art. 4, quæst. 3, et d. 5, quæst. 2, art. 2, quæst. 1).

1. *Ad quintum sic proceditur.* Videtur quod sacramenta novæ legis non habeant virtutem ex passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandam in anima, per quam spiritualiter vivit. Sed sicut Augustinus dicit super Joannem (tract. 19 a medio, et 23, ante medium, tom. 9): *Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas; secundum autem, quod est caro factum, vivificat corpora.* Cum igitur passio Christi pertineat ad Verbum, secundum quod est caro factum, videtur quod non possit causare virtutem sacramentorum.

2. *Præterea, virtus sacramentorum videtur ex fide dependere, quia sicut dicit Augustinus (tract. 80 in Evang. Joan., post medium, tom. 9): Verbum Dei perficit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed fides nostra non solum respicit passionem Christi, sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius, et principaliter etiam divinitatem ejus. Ergo videtur, quod sacramenta non habeant specialiter virtutem a passione Christi.*

3. *Præterea, sacramenta ordinantur ad hominum justificationem, secundum illud, 1 Cor. 6: Abluti estis et justificati estis. Sed justificatio attribuitur resurrectioni, secundum illud, Rom. 4: Resurrexit propter justificationem nostram. Ergo videtur, quod sacramenta magis habeant virtutem a resurrectione Christi, quam ab ejus passione.*

Sed contra est, quod super illud, Rom. 5: In similitudinem prævaricationis Adæ, etc., dicit Glos. (ordin. super illud: Qui est factus forma futuri sæculi): Ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia. Sic ergo sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 1 hujus quæst.), sacramentum operatur

ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum conjunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum; et ideo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur. Gratiæ autem sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem vitæ Christianæ. Manifestum est autem ex his, quæ supra dicta sunt (quæst. 48 et 49) quod Christus liberavit nos a peccatis nostris, præcipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianæ religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur Ephes. 3. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. In cujus signum de latere Christi pendens in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta.

Ad 1 ergo dicendum, quod Verbum, prout erat in principio apud Deum, vivificat animas, sicut agens principale; caro tamen ejus et mysteria in ea perpetrata operantur instrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quamdam exemplaritatem, ut supra dictum est.

Ad 2, dicendum, quod per fidem Christus habitat in nobis, ut dicitur Ephes. 3, et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum, speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius Christi; et ideo per fidem passionis ejus, specialiter, homines liberantur a peccatis, secundum illud Rom. 3: Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi.

Ad 3, dicendum, quod justificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem,

qui est novitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini a quo, scilicet quantum ad dimissionem culpæ.

Hic art. in fine præcedentis sectionis explicatus est, et de illo multa legi possunt in 1 tomo, disput. 31.

ARTICULUS VI.

Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent (1. 2, quæst. 103, art. 2, et quæst. 107, art. 1 ad 3, et 4, d. 1, quæst. 1, art. 5, quæst. 1.)

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod etiam sacramenta veteris legis gratiam causarent. Quia, sicut dictum est (art. præced.), sacramenta novæ legis habent efficaciam ex fide passionis Christi; sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut et in nova, habemus enim eundem Spiritum fidei, ut habetur 2 ad Corinth. 4. Sicut ergo sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ita etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

2. Præterea, sanctificatio non fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur; dicitur enim in Lev. 8: Cumque sanctificasset Moyses, Aaron et filios ejus in vestitu suo, etc. Ergo videtur, quod sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

3. Præterea, sicut Beda dicit (in hom. Circumcis., inter princ. et med.): Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatæ tempore gratiæ consuevit. Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circumcisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia, quia sicut baptismus est janua sacramentorum novæ legis, ita et circumcisio erat janua sacramentorum veteris. Propter quod et Apostolus dicit Galat. 5: Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.

Sed contra est, quod Galat. 4 dicitur: Convertimini iterum ad infirma et egena elementa. Gloss. (ordinar. ib.): Id est, ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfecte non justificat. Sed gratia perfecte justificat. Ergo sacramenta veteris legis gratiam non conferebant.

Respondeo dicendum, quod non potest dici, quod sacramenta veteris legis conferrent gratiam justificantem per seipsa, id est, propria virtute, quia sic non fuisset necessaria passio

Christi, secundum illud Galat. 2: Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est. Sed nec potest dici, quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam justificandi. Sicut enim ex prædictis patet (art. præced.) virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ est per fidem, fit per actum animæ; continuatio autem, quæ est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id, quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod præcedit in actu animæ, sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem, secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso. Sed illud, quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quod a passione Christi, quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad sacramenta novæ legis, non autem ad sacramenta veteris legis; et tamen per fidem passionis Christi justificabantur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus ejus. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.

Ad 1 ergo dicendum, quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quæ, secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat justificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest justificare etiam secundum realem usum sacramentalium rerum, ut dictum est (in cor. art.).

Ad 2, dicendum, quod illa sanctificatio erat figuralis; per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam passionem Christi.

Ad 3, dicendum, quod de circumcisione multiplex fuit opinio; quidam enim dixerunt, quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse, quia homo non justificatur a peccato, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3: Justificati gratis per gratiam ipsius.

Et ideo alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos gratiæ. Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Et præterea, secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso; forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum. Et ideo alii dicunt, quod circumcisio conferebat gratiam, quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, non tamen quantum ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod et aliquando mihi visum est, sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et mereri vitam æternam; et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4, quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Et ideo in circumcisio conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futuræ, ut infra patebit. (Quæst. 70, art. 4.)

COMMENTARIUS.

Quamquam D. Thomas tantum videatur loqui de sacramentis legis scriptæ, quæ proprie dicitur lex vetus, tamen si discursus articuli et solutio ad tertium considerentur, responsio ejus universalis est de omnibus sacramentis, quæ ante Christi adventum fuere, tam in lege naturæ, quam in veteri. Ratio D. Thomæ est, quia illa omnia nitebantur in Christo venturo, et illum promittebant, ac præfigurabant, et ideo non conjungebantur illi, ut instrumenta ejus. Quia sicut causa efficiens non operatur antequam sit, ita etiam non utitur aliquo reali instrumento ad efficiendum; solum ergo erant signa. Quæ ratio eandem vim habet in omnibus præteritis sacramentis, atque ita in solutione ad tertium absolute extendit D. Thomas hanc conclusionem, etiam ad circumcisionem. Quæ omnia in sequenti disputatione examinabuntur amplius et declarabuntur.